



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

58. An si Confessarius consentiat sollicitationi, sit denunciandus vigore
Bullæ Greg. XV? Ex part. 4. tr. 5. res. 42.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

2. At contrarium omnino est affirmandum cum Riccio in *praxi*, p. 3, resol. 67, n. 1. Sancio in *selectis*, disp. 11, n. 24. Bonac. in *tract. var. disp.* 6, punct. 3, n. 20. & aliis: quia Constitutiones Pontificum in Confessarios, diriguntur ad illorum audaciam, & iniquitatem comprimendam, cumque hoc scelus feminis raro contingere constet, lex de illis non disponit: quia leges humane ea, quæ frequentius accidere solent, considerant.

3. Adde illud, quod sæpius repetitum est: cum hæ Constitutiones sint penales, non sunt extendendæ ad alium casum, ex cap. statum de elect. & ex leg. cum quidam ff. de liberis & posthum. Barb. de potest. Episc. p. 3, alleg. 102, n. 92. Castr. Pal. de leg. pen. lib. 1, c. 7, docum. 3. Sanchez de *mar. tom. 3*, lib. 10, disp. 4, n. 3, & alij communiter. Vnde edita poenalia rejiciunt argumentum à pari, & à simili, & à contrario sensu. Et ideo poena l. unica, C. de raptu, virg. non habet locum, quando virgo rapit virum, vel vit virum, ut rectè observat Castrensis in *l. raptores*, C. de raptu, virg. Trivisanus p. 2, decis. 211. Decianus lib. 8, tit. 7, n. 28. & 29. cum Emmanuele Barbosa ad ordin. Portug. lib. 5, tit. 18, §. 3, num. 2. & Sanchez de *marim. tom. 2*, lib. 7, disp. 12, n. 25. Et ego sentio, quod excommunicatio lata contra ingredientem Monasteria Monialium sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientem sine tali prætextu, ut rectè docet Sanchez in *summa*, tom. 1, lib. 6, cap. 16, n. 78, qui citat Suarez, Philarchum, Zerolam, Sayrum, & Rodriguez; quibus ego addo Mirandam in *Man. Prel. tract. de Monialibus*, §. 2, art. 10, concl. 1. Megalam in 3, par. lib. 4, cap. 3, §. 2, n. 11. Campanili in *diver. jur. can. rub. 12*, cap. 16, n. 24. Barbofam de potest. Episc. p. 3, alleg. 102, n. 37, cum aliis. Vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

RESOL. LVI.

An Confessarius à femina sollicitatus, si consentiat sollicitationi, & ad actus turpes, & sermones inhonestos, sit ab aliis, qui hoc sciunt, denunciandus? Ex p. 1, tract. 5. Ref. 11.

Affirmativam sententiam docere Graf. tom. 1, lib. 5, conf. 7, n. 8. de pen. notavit Freit. in *addit. ad tract. de Confess. sollicit.* 9, n. 8. Sed Graffius in illo loco nihil de hoc. Ideo negativè respondet Episcopus Roderic. Auguina in *dict. tract. de Confess. sollicit.* 9, §. 13, per totam, & ibi Freitas n. 24. Hanc etiam sententiam docuit Portel, in *addit. ad dubia regul. verb. sollicitare feminam*, n. 10. Et ita respondit Suarez, testatur Auguina, ubi supra. Et ratio est: quia sollicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas: & ideo Pontifices utuntur his verbis, *allicere*, vel *provocare*. Sed Confessor prius sollicitatus non rogat, non allicit, non provocat. Ergo non est denunciandus.

2. Sed hæc opinio erat probabilis, imò vera, ante Constitutionem Greg. XV. nunc autem difficultatem habet; nam in dicta Bulla Summus Pontifex asserit, [esse denunciandos illos Confessarios, qui (hæc sunt verba Bullæ) poenitentes sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.] Vbi vides, quod Summus Pontifex, non solum simpliciter, ut fecerant antea Clem. VIII. & Paulus V. utitur verbo sollicitandi, & provocandi, sed addit illa verba: *Aut cum eis*, &c. Sed Confessarius in nostro casu, licet prius à femina fuerit sollicitatus; tamen illicitos, & inhonestos sermones cum illa in Confessione habet. Ergo, vigore dicte Constitutionis, est denunciandus.

3. Non reticebo tamen, Sanctarellum, virum doctum, in *tract. de hæresi*, c. 46, n. 2, docere, etiam post Bullam Tom. V.

Greg. XV. non esse denunciandum Confessarium, qui à muliere sollicitatus, & ejus libidini consentit. Idem etiam docet Sancio in *selectis*, disp. 11, n. 35. & 26. Peirini. ubi infra, §. 3, n. 10. Homobonus de *exam. Eccl. tom. 2*, tr. 11, c. 12, §. 26. & Bonacina in *tract. var. disp.* 6, par. 3, n. 17. Vnde hæc opinio probabilis, & tuta est mihi videtur. Et verba Bullæ Greg. XV. superius adducta, posset aliquis intelligere, non de Confessario consentiente sollicitationi poenitenti; sed de Confessario de rebus turpibus in confessionario cum aliqua muliere confabulante, absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum. Et ita docet Peirinus in *privil. Minim. tom. 2*, constit. 4. Greg. XV. §. 2, n. 2.

RESOL. LVII.

An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de turpi illa materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non præbendo poenitenti absolutionem, incidat in Bullam Greg. XV. & sit denunciandus? Ex p. 4, tr. 5. Ref. 4.

Ad hoc dubium negativè respondet Soula in *Aphor. Inquis.* lib. 1, cap. 34, n. 10. ubi sic ait: Si Confessarius sollicitationem amplectens de materia illius loqui desistat, ac libidinis complementum in aliud tempus & locum differat, neque feminæ sollicitatrici absolutionem impendat, probabilius est decreta hæc minimè violasse. Ita ille, quod etiam antea docuerat opusc. de *Confess. sollicit.* tract. 1, cap. 6, n. 8. & ratio est, quia Confessarius in hoc casu solummodo videtur infidelis minister, qui mulierem ab impudico proposito noloit dissuadere, cum hoc ad Confessarii munus propriè attineat: non verò vocandus est sollicitator, neque volens injuriam inferre Sacramento, ut colligi potest ex eo quod noluerit absolutionem tanquam indispositæ impendere. Neque potest dici abutens Sacramento positivè quod ad transgressionem decreti necessario exigitur, ut testantur illa verba, *Allicere & Provocare*, quæ abusum Sacramenti activum denotant; solum igitur dicendum est, non bene utens Sacramentum ministrans. Ita Soula & alij, quos adduxi in 1, p. tract. 4, resol. 11.

2. Verum contrariam sententiam ego sequor, nam ut Confessarius dicatur verè sollicitator, non est opus, ut absolutionem sacramentalem impendat, nec ut de rebus venereis longius cum poenitente loquatur, sed sufficit sollicitationi feminæ acquiescere, nã talis consensus ad illam sollicitationem non efficitur mentaliter, sed verbis; ergo eo ipso quod ita sollicitationi consentit, dicitur habere inhonestos sermones cum poenitente, quod prohibet Greg. XV. in sua Bulla, nec enim magis, aut minus mutat substantiam, aut differunt specie, ut patet in l. fin. de fundo instruct. l. si is cui ff. quem admodum servit. amittit. & docet Surdus consil. 305, n. 66. & consil. 368, n. 13. Marius Antonius var. resol. lib. 3, resol. 39, n. 4. Ferrerus in *constit. Cæsalon. glossa* 8, n. 155, & alij. Ergo, &c. Sed de hac quæstione inferius etiam redibit sermo.

RESOL. LVIII.

An se Confessarius consentiat sollicitationi, sit denunciandus vigore Bullæ Greg. XV? Ex p. 4, tr. 5. Ref. 42.

Affirmativè respondet Fagundez de *præcept. Eccl. in 2. edit. præc. 2*, lib. 4, cap. 3, n. 56. & 57. quia Summus Pontifex in dicta Bulla omnes illicitos & inhonestos sermones, quos Confessarii cum poenitentibus habuerint, prohibet, & dictos Confessarios

Sup. hoc in ref. præterita, & seq. & sup. in Ref. 49, §. Nota etiam, & seq.

Quæ hic est ref. antecedens.

Inferius in ref. quæ nunc hanc sequetur.

Sup. hoc in duabus præcedentibus ref. & sup. in Ref. 49, §. Nota etiam, & seq.

denunciandos esse statuit, sed Confessarius consentiens sollicitationi, commiscet eum penitente illicitos, & inhonestos sermones; ergo denunciandus erit. Ita Fagundez, & ante illum ego ipse in 1. part. tract. 4. resolut. 1. sed ibi observavi multos Doctores etiam in terminis Bullæ Gregorianæ circa præsentem quæstionem negativam sententiam docere.

Quæ hic est
sup. Ref. 56.

RESOL. LIX.

An si Confessarius consentiat in sollicitatione metus causa, sit denunciandus, & ab Inquisitoribus puniendus? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 15.

Pro confesso
in hac Ref.
in ref. seq.

§. 1. Ad hoc dubium ita respondet Ioan. Sancius in selectis disp. 11. num. 30. Si vocatus Confessarius ad ægrotantis feminæ confessionem ab ipsa sollicitaretur, minas superaddente se exclamaturam vim sibi ab illo inferri, nisi consentiat, sicque ipse ob vitandam infamiam actui impudico consentiat, non erit locus constitutioni Pontificiæ. Ita ille, qui citat Acugnæ & Grassium, quibus ego addo Peyrinum de privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 3. num. 9.

2. Verum si talis Confessarius denunciaretur, Antonius Soufa in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 3. 4. num. 28. & in opuscul. de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 17. num. 8. & seq. putat puniendum esse ab Inquisitoribus arbitratia & extraordinaria pœna, sine tamen abjuratone; sed novissime Freitas tract. de Confess. sollicit. quest. 11. numero 36. docet dictum Confessarium non esse denunciandum, neque posse illum Inquisitores pœna arbitratia punire.

RESOL. LX.

An metus, & vis excusent Confessarium à penis contra sollicitantes?

Et an talis Confessarius, qui metu deliquit, debeat abjurare?

Et deductur, quod qui metu peccat, pœnam extraordinariam non effugit. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 42. aliàs 40.

Pro confesso
in hac Ref.
in ref. præ-
terita.

§. 1. Ponit casum Carena par. 2. tit. 6. §. 19. n. 94. de Confessario, qui vocatus à femina pro ejus Confessionibus audientis ab ea sollicitatur ad turpia, quæ etiam minas superaddit, se exclamaturam vim sibi inferri, nisi consentiat, ob quæ, postulanti feminæ consentit. Et dictus Carena putat in tali casu Confessarium incurtere pœnas Bullarum, & esse Inquisitoribus denunciandum; quia, ait ipse, inhonesta perficit cum femina occasione Confessionis, & in Bulla nostra Gregoriana comprehenditur habens tractatus, & sermones inhonestos cum feminis in Confessione Sacramentali, vel occasione ejusdem. Nec ex capite metus potest se ueri iste Confessarius, quia iste metus est levis, uti etiam dixit Peyrinus de privileg. Minimor. tom. 2. ad Constitutionem Gregorij XV. vers. quarum, §. 3. num. 9. Et iste levi isto timore correptus, & ut in constantem virum cadere metus dicatur, debet probabiliter timeri, ut notant Doctores in leg. mecum, l. 2. ff. quod metus causa, unà cum aliis allegatis per Sanchez de Matrim. lib. 4. disput. 1. numero 15. Hucusque Carena.

2. Sed audiamus Escobar à Corro de Confess. sollicit. part. 1. tit. quest. 2. §. 2. num. 3. ubi sic ait: Amplia octavo, dum Confessarius vi, aut metu commotus feminam minantem turpiter violet in Sacramentali

actu, aut cum ea habeat inhonestos actus, nam debet puniri; & coram Inquisitoribus denunciari ex novo Gregorij Decreto, quamvis mitiori pœna, quam minueret debet vis, & metus, sicut & culpam per Text. in cap. Sacris, §. ibi. Licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit. Dixi in Sacramentali actu; quia si ab initio femina aperiat animum non confitendi, & ita provocet Confessarium, ut dicat, quod si non consentiat, vociferaturam vim sibi à Confessario illatam, & Confessarius suæ infamiz vitanda causa consentiat, puniri non debet per Inquisitores, nec extraordinaria pœna, quia deficit Sacramentum, & ejus injuria nec ex parte Confessarii simulatur, nec adest ratio, qua pœnis subijciatur. Ita ille.

3. Verum novissime absolute docet Joseph de Januario, de Cas. reserv. resolut. 58. per totam, supradictum Confessarium non esse denunciandum, neque incurtere in pœnas constitutionis Gregorianæ. Nec obstat, ait, quod in contrarium adducit Carena, quod hic Confessarius inhonesta perficit cum femina occasione Confessionis; & in Bulla nostra Gregoriana comprehenditur habens tractatus, & sermones inhonestos cum feminis in Confessione Sacramentali, vel occasione ejusdem. Respondeo, quod occasio Confessionis est arrepta à femina ad perficiendam inhonesta cum Confessario, & Confessarius in ordine ad hanc arreptionem, se habet merè passivè, cum ipse accesserit animo audiendi peccata illius feminæ tantum. Et sic non Confessarius occasione Confessionis, tractatus, vel sermones inhonestos habuit, sed feminæ cum ergo Bulla Gregoriana loquatur de Confessariis habentibus tractatus inhonestos occasione Confessionis, non verò de feminis, consequenter nec hæc, nec illi sunt denunciandi, &c. Tantò magis, quia ratione metus Constitutio Gregoriana non obligat.

4. Dices Secundo ex eodem Carena loc. cit. n. 96. & 97. Quod talis metus est levis, quia non debet in eo casu damnum aliquod probabile timere Confessarius ex acclamatione illius feminæ, sed Dum præculis, habere & peccatum non committeret, sed posito quod peccet, non est denunciandus, ut dixi. Dices Tertio, etiam si Confessarius sit sollicitatus à Penitente, & consentit, est denunciandus: ergo etiam in casu nostro. Respondeo transeat Antecedens, cum probabile sit quod non sit denunciandus, ut probant Doctores in responsione hujus resolutionis citati, & negatur Consequentia, quia metus facit cessare obligationem legis positivæ ut dixi. Et cum in casu nostro metus sit, non verò in simpliciter consentiente, idè in casu nostro non est denunciandus Confessarius sollicitatus: est tamen denunciandus simpliciter consentiens. Dixeram tamen unum; nam durum nimis mihi videtur dicere, quod Penitens, quæ simpliciter est auctrix, & inventrix hujus mali, ipsa deinde teneatur accusare Confessarium ab ipsa vi inductum ad tantum scelus, & deinde Confessarius coactus ad malum sit puniendus, & inducens sit impunita, accusatrix, testis præcipua. Quia Iustitia hoc possit procedere ignoro. Et hæc omnia docet Januarius, ubi supra; cui adde Patrem Leandrum, de Sacram. tract. 5. diff. 13. quest. 23. in fine ex pia intentione DD. Inquisitorum.

5. Vnde ego in hac difficultate media via incedo, nempe ut talis Confessarius puniatur ab Inquisitoribus arbitratia & extraordinaria pœna; quia qui metu peccat, pœnam extraordinariam non effugit. Probat Text. in cap. Sacris de vis qua vi in illis verbis: Licet metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excusat. & in leg. Servos. Cod. ad leg. Juliam, de vi publ. Baldo, & Salicet. ibidem post numer. 3. Tiracuellus de pœnis temp. caus. 36. num. 1. & segg. Covarruvias in 4. Decret. part. 2. capit. 3. §. 4. num. 7. Clar. in præf. §. fin.